

ognitionem et scimus nunc quis et qualis ipse sit ita nos geramus erga eum sicut decet erga Dominum et Deum; gratias agamus ei ob bonitatem, reuamemus amantem, speremus in misericordem, timeamus justum, confidamus in potente, obediamus sapienti.

PARS SECUNDA.

DE COGNITIONE SPIRITUALIUM EXTRA DEUM.

Cognoscimus dignitatem animæ nostræ. — II. Dignitatem proximi nostri. — III. Dignitatem gratiæ et virtutis. — IV. Gravitationem peccati. — V. Gravitationem penarum inferni. — VI. Magnitudinem gloriæ cælestis.

Legimus IV. Reg. XXII. repertum aliquando in Helcia pontifice librum legis in templo, qui lectus legeretur coram rege Josia, perterritum est cor ejus et scidit vestimenta sua, quod videlicet ipse et populus ejus ea, quæ in illo libro dicebantur, non scivisset, nec observasset. Proponit etiam nobis hodie Ecclesia, et legit in templo librum mirabilem, crucifixum scilicet et in eo mira quædam arcana: quæ si nos intelligeremus, absque dubio etiam perterriti non tam vestes, quam corda scinderemus. Hic est ille liber quem S. Joan. Apoc. V. scribit se vidisse in dextera Dei sedentis supra thronum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. S. enim Hilarius in præfat. sua in Psalm. docet Christum designari per hunc librum, cujus septem sigilla septem sunt redemptionis nostræ mysteria. Incarnatio, natiuitas, passio, resurrectio, ascensio, missio Spiritus sancti, adventus ad iudicium. Hic liber hodierna die positus est in pulpitu crucis, scriptus intus et foris; intus per amorem et dolorem, foris per vulnera et cruorem: ibidem etiam apertus et expansus est, ut ab omnibus legeretur, quidquid in eo scriptum est, habet hic liber duo tantum folia, quæ si quis accurate perlegerit, inueniet in una quadammodo summa quidquid theologia tam speculativa quam practica tot sæculis et tot laboribus tradidit. In primo folio perspicitur quidquid ad cognitionem Dei et rerum a Deo revelatarum pertinet, quæ traditur theologia speculativa. In secundo theologia moralis, res scilicet quæ nos ad virtutem amplectendam et vitium fugiendum magis incitant quam ullæ aliæ quæ possint excogitari. In primo quid sciendum et credendum; in secundo quid faciendum et omittendum. Quoniam itaque hodierna præsertim die liber iste nobis proponitur ab Ecclesia, ut in ejus lectione sedulo immo-

remur, et jam prima concione latus unum folii prioris legimus, perlegimus nunc alterum; folium vero secundum sequentibus duabus concionibus. Sed prius Deum oremus ut det nobis oculos illuminatos, quibus intelligere possimus quæ legimus.

Septem arcana legimus in libro s. crucis, quæ intellexerimus sat superque scimus.

I. Dignitatem animæ nostræ; siquidem pro ea dedit Dei Filius pretiosum sanguinem suum, imo se totum. Quam enim nobilem et generosam oportet esse virginem illam, pro qua redimenda et sibi desponsanda Dei Filius tantum iter suscepit et tam difficile certamen iniit, adeoque mortuus est? Multa cecinerunt poetæ gentiles de Helenæ reginæ pulchritudine, quæ decennale Trojæ obsidionem, denique ruinam et excidium causavit. Sed quid vanissima illa forma Helenæ respectu animæ, ob quam Dei Filius e cælo venit, et triginta tres annis pugnavit, ac denique corporis sui destructione eam redemit? Si quidem propter animas nostras ipse dixit: *Solvite templum hoc*, Joan. II. Certavit etiam pro anima diabolus, imo eam velut Paris Helenam jam raperat et corripuerat, sed vicit eum Christus prælio passionis suæ et prædam ei eripuit. Quam speciosa fuerit Rachel, ex eo colligimus quod Jacob pro ea septem annis servierit pascendo oves in æstu et gelu: et tamen visi sunt ipsi pauci dies ob amoris magnitudinem, Gen. XXIX. Ergo similiter ex eo colligimus animæ humanæ præstantiam et nobilitatem, quod Christus pro ea triginta tres annos servierit et mortem oppeterit ac immania sit passus per horas circiter octodecim: quod tamen spatium appellavit modicum: *Et iterum modicum et videbitis me*, Joan. XVI. Jam si Dei Filius pretio infinito sanguinis sui nos comparavit, quis non maximi æstimet et cautissime servet animam suam? Unde S. August. « Videns animam meam, inquit, sanguine Filii Dei emptam, nolo illam posthac tam parvo vendere. » Et S. Petrus, I. Petri I. *In timore incolatus vestri tempore conversamini: scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Quis nescit puellam forma præstantem, quæ ob sui pulchritudinem principem habet amatorem vel jam sponsum, nequaquam nubere sordido alicui et vili servo, sed nec responso quidem aut alloquio dignari viles ejusmodi procos? Atqui anima nostra nobilissimum habuit habetque amatorem Dei Filium: quid igitur cum vilissimis creaturis colludimus et negotiamur? Et quis explicet illorum vesaniam, qui tam facile ani-

mam suam oppignorant et dant diabolo, qui tam proni sunt ad jurandum per salutem animæ suæ, etsi sæpe falso, quasi eam nihili æstiment? *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* Ratio sua est quia nobilissimæ indolis est anima, capax similitudinis divinæ et omnium virtutum ac gloriæ.

II. Dignitatem proximi nostri, siquidem pro ipso etiam Christus idem pretium exsolvit, quod pro te, licet is vilissimum sit mancipium, et abjectissimum hominum, unde ex hoc novo titulo fratres sumus omnes. Et si multum est, nos fratres esse propter communem creationem, plus est fratres esse propter communem redemptionem. Hoc enim titulo redemptionis maxime gloriantur sancti præ omnibus aliis; ut Apoc. V. *Redemisti nos in sanguine tuo, etc.* Unde licet alios ob respectus, videlicet ob statum, dignitatem, opes, nobilitatem, libertatem, etc. alter alterum excellat, ii tamen minus principales minusque respiciendi sunt. Quemadmodum in aliqua nobili familia, licet alter altero ditior, honoratior et prudentior sit, etc. quivis tamen alios ut æquales agnoscit, pari titulo honorat; eadem illis insignia libenter concedit, licet illi non possideant eam arcem vel domum, cujus titulo alter gaudet, quia nimirum præcipuum quod considerat et considerari debet, est sanguis idem a quo orti sunt. Modo autem per sanguinem Christi omnes unum et idem sumus, omnes conglutinati sumus, quia nostra salus ab eo provenit. Seponamus ergo alios quoscumque respectus secundarios, ad hunc primum attendamus. Cognatos se agnoscat liber et servus, nobilis et ignobilis, dives et pauper, doctus et indoctus, maximus et minimus, dominus et servus. De servo centurionis ait S. Luc. c. VII. *quod erat illi pretiosus.* Si pretiosus ei erat quando pro illo nondum exsolverat Christus pretium sanguinis sui; quanto pretiosior nunc esse nobis debet proximus, sive servus sive alius quicumque postquam pro eo pretium jam solutum est?

Nemo igitur proximum suum contemnat, licet inferiorem. Audi Augustinum de verbis Domini: *Quem vis contemnere, inquit, pretium ejus attende, et cum morte Christi totum mundum appende.* Quanto minus alter alterum seducere consilio vel exemplo debet! Si enim *aurum est*, juxta paræmiam nostram, *quod aurum valet* vel auro comparatum est: quomodo non item sanguis Christi est, qui sanguine Christi emptus est? Quanti autem sceleris reus haberetur, quia sanguinem Christi effunderet et pedibus calcaret? Sacerdos qui sacram calicem evertit in altari etiam præter voluntatem ex incuria, diuturnæ

et gravi addicitur pœnitentiæ ex lege pontificia: quanto graviorem ergo merebitur pœnam qui proximum suum perdit! Si enim non piuris faceret Christus proximum nostrum, quam sanguinem suum, non dedisset pro eo sanguinem. Unde apostolus I. Corint. VIII. ait: *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Vide ergo quid agas si proximum destituas sive corporali sive spirituali auxilio, præsertim si scandalizes; hinc enim fulminantia illa Domini verba prodierunt: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris. Et vae mundo a scandalis*, Matth. XVIII. Quomodo ita tonaret Dominus contra scandalum, nisi per id ei maximi res pretii auferretur et periret?

III. Dignitatem gratiæ et virtutis: ut enim has in nobis plantaret Dei Filius, de cælo descendit et in crucem ascendit. Multi libri conscripti sunt de præstantia virtutis, nihil tamen eam adeo explicat, adeoque extollit, quam quod Filius Dei eam nos docere et morte sua comparare nobis voluit. *Dedit semetipsum pro nobis*, ait Apost. ad Tit. II. *ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ante Christum nesciebat homo pretium ejus, post Christum didicimus. Peregrinæ aliquæ plantæ in hortis principum magnis sumptibus parantur et conservantur, veluti fornacibus per hiemem calefactis. Quam ergo pretiosa erit humilitas, paupertas, patientia, injuriarum tolerantia, etc. quas ut in Ecclesia sua Christus plantaret, sanguine suo rigare voluit. Gaudeas igitur quisquis es, si talem habeas in horto tuo plantulam. Gratiæ vero præstantia ex eodem pretio colligitur; si enim rusticus casu invenisset gemmam quam vitrum existimaret, eamque proinde paucis nummis vendere vellet, si quem offenderet mercatorem, gemmarum æstimatorem peritissimum, qui statim illi pro ea offerret tria millia ducatorum: nonne rusticus manum retraheret? Nonne sapere inciperet et intelligere, non vitrum sed gemmam esse pretiosissimam? Nonne sedulo custodiret, nec nisi pro æquivalente pretio venderet? Ante Christi passionem nesciebamus pretium gratiæ, pro uno lentis edulio sicut Esau, pro una ebrietate, una fornicatione dabant homines gratiam; postquam vero nunc Christus pro ea vitam et sanguinem suum dedit, numquid non manum retrahere et pretium ejus intelligere ac diligentissime custodire debemus, nec nisi pro re æquivalente, scilicet gloria vendere? Magna sane stultitia, tam vili vendere id, quod Christus tam

caro emit, peritissimus rerum aestimator. Obtulit pro hac gemma primus mercator diabolus omnia regna mundi: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, id est, si de gratia in peccatum cecideris. Sed mercator alter Christus longè plus obtulit, vitam scilicet suam. Quid vero nunc mortales? Mirum certè; propter jacturam rerum temporalium plorant implacabiliter, ut ille qui IV. Reg. VI. multo fletu prosequeretur demersam securim quam mutuo acceperat; pauci deflent amissam gratiam. O modum agendi præposterum! Quid aliud est gratia quam virtualis gloria? Ut enim pecunia in cista virtualiter est palatium, hortus, prædia, vivarium, deliciae omnes, etc. quia per eam hæc omnia comparari possunt, sic gratia est gloria et omne cæli bonum.

IV. Gravitationem peccati, quod tam grandi tamque pretioso indiguit balneo, quo abstergeretur. « Agnosce, o homo (inquit S. Bern. serm. III. de nat. Domini) quam gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. » Obstinatissimus quidem morbus est lepra, quæ nisi sanguine infantum curari non potest ex consilio medicorum Constantini Magni; quanto vero obstinatio, gravior et desperatio morbus peccati, qui lavacro eguit sanguinis divini multo pretiosiore quam sit totus mundus, ipsum cælum et angeli omnes? Magnum foret odium illius principis qui cives suos vel ideò solum puniret quod cum adversario ejus amicitiam fecerint; majus foret, si etiam aulicos aliquot et propinquos suos idem muletaret exilio æterno, morte ipsa gravior. Sed quantum illud esset si etiam proprium filium alioquin unicum et charissimum, vel ideò solum morte acerba plecteret, quod ad hostis illius castra deflexisset et causam illius apud patrem agendam benevole in se suscepisset? Modo quia odio est Deo impius et impietas ejus, ut dicitur Sap. XIV. propter odium peccati expulit Deus primos nostros parentes e paradiso, et cum illis nos omnes licet illorum prævaricationi non interfuerimus, nedum consenserimus; et tamen supplicio mortis et plurimis aliis gravissimis pœnis nos addixit. Deinde amicitiam etiam cum peccato fecerunt angeli mali, nobilissimi quondam ejus aulici et inter omnes creaturas ei propinquissimi; nihilominus propterea eos Deus in perpetuum exilium acerbissimæ gehennæ deiecit. *Angelis peccantibus non pepercit*, ait S. Petrus, II. Petr. II. *sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*. Sed exigua sunt ad-

huc ista. Ad extremum igitur Filius Dei cum peccato quidem et peccatoribus nullam iniit confederationem aut amicitiam, sed quid fecit? Descendit solum in eorum castra, cum illis aliquamdiu fabulatus est et collusit, necnon causam eorum apud Patrem suum suscepit agendam: et ideò tamen ad supplicium mortis et acerbissimos cruciatus condemnatus et raptus est a Patre. O immanè odium Dei in peccatum! Magnum fuit odium Saulis erga Davidem; siquidem propter illum nisus est configere proprium filium Jonathan, eo quod amicus Davidi esset et pro salute ejus et vita patrem interpellaret, I. Reg. XX. Magnum etiam fuisse debuit odium Auli Fulvii Romani erga Catilinam, eo quod filium juvenem et ingenio et litteris et forma inter æquales nitentem, primo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra ejus euntem in medio itinere abstraxerit et supplicio mortis affecerit, prout refert. Val. Max. I. IV. Sed longe implacabilius odium habuit Deus erga peccatum, qui Filium suum unigenitum ideò solum, quod cum peccatoribus junxerit quasi amicitiam et eorum causam in se suscepit, tam immanibus suppliciis plexit. Quando ergo nunc scimus tam periculosum esse peccati morbum et coram Deo tam abominabilem, quis sine horrore audeat cum peccato habere imposterum vel minimum commercium? Annon auditò sole peccati nomine tremere deberemus et fugere a peccandi etiam occasionibus velut a serpentibus?

V. Gravitationem pœnarum infernalium: siquidem ut ab illis nos redimeret Dei Filius, pro nobis non solum mortuus est, sed etiam acerbissimos pertulit cruciatus. Si enim propterea vel homo tantum fieri et de cælo ad terram descendere debuisset, sat multum fuisset et maximum argumentum pœnas inferni leves non esse, quæ Deum e cælo detraxerint ad terras. Sed præterea etiam acerbissimè cruciari et quadam ratione ipsas inferni pœnas ad tempus degustare, ac postremum mori debuit. Maxima inferni tormenta sunt, a Deo et ab omnibus charis deseri, absque ulla consolatione cruciari, potestati dæmonum relinqui, immobilem et ligatum in eodem loco jacere, in tenebris esse, et flere. Hæc omnia ad tempus suo modo passus est Christus, derelictus fuit a Patre et a charissimis discipulis, passus est absque ulla consolatione traditus est principibus tenebrarum (*Hæc enim inquit, est hora vestra et potestas tenebrarum*) ut omnem in eum effundere per membra sua furor possent; ligatus et confixus ad tres horas in cruce pependit in tenebris, cum clamorè valido et lacrymis. Eritne igitur quispiam adeo

vesanus, ut existimet hæc tanta Dei Filium passurum fuisse, si non essent immanes et incredibiles pœnæ inferorum? Nonne indicium est maximi incendii, si per multa milliaria homines auxiliatum accurrant? Et quid si etiam in ignem insilirent, ut ardentem eriperent? Sane Christus e cælo accurrit ad incendium hoc extinguendum et in ipsum quodammodo insiliit. Quia nimirum *succensus est hic ignis in furore Dei et ardebit usque ad inferni novissima*, Deut. XXXII. Sed quando inferorum pœnæ graviore non essent cruciatibus illis, quos tulit Christus, et nihil adderetur nisi æternitas, nonne hoc sufficeret ad eam pœnam in immensum augendam? Pependit tres horas in cruce tribus affixus clavis Dominus, at omnes miramur, et jure miramur, et jure peritissimus: quid igitur esset illud si in inferno in simili cruce, non tres horas, non tres annos, non tria sæcula, non tres sæculorum myriades, sed sine fine et quamdiu vivet Deus, pendendum tibi esset? Quid si præterea in æternum flagellari, spinis coronari, opprobriis, alapis, sputis, tractionibus, calumniis, illusionibus vexari deberes, quomodo ad tempus vexatus est Christus? Nonne hoc sufficeret ut pœnas illas super omnia horres? Sed non includentur his terminis pœnæ infernales: si enim Dei Filius ob alienam culpam benevole in se susceptam tanta pati debuit: quid debebitur homini rebeli, proprias ob culpas? *Quid si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* q. d. si arbor virens et fructifera ita tractatur, quomodo tractabitur emortua et sterilis? Quanto atrocius desæviet in illam ignis? Et adhuc ne audies diabolus tibi persuadentem, non fore tam crudelem vel etiam nullum ignem tartareum? Quid? Veni accede et palpa manibus veritatem. Numquid Filio pepercit Deus? Et si Filio non pepercit, tibi parcat?

VI. Magnitudinem cælestis gloriæ; siquidem Dei Filius per passionem suam cælestia nobis bona promeruit et coemit. Comparavit Dominus regnum cælorum pretiosæ margaritæ, Matth. XIII. Quam autem pretiosa deberet esse margarita illa, pro qua non sibi sed alteri coemenda, mercator per plurima maris pericula usque ad Indos navigaret, et pro ea omnem suam substantiam daret? Hæc vero regnum cælorum est, pro quo nobis emendo Dei Filius de cælo venit et tormenta gravissima mortemque ipsam pertulit, adeoque omnia sua vendidit.

Tametsi vero sibi etiam Dominus gloriam suam meruit, propterea tamen de cælo neutiquam venisset, multo minus passus esset: *Ego veni ut vitam habeant*, non ut habeam, inquit.

Quam ergo insigne debet esse regnum illud,

pro quo acquirendo, tot labores exantlari debuerunt? Hinc Ecclesia canit: *Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cælorum*. Nihil acerbius fuit hoc aculeo: et tamen eo transfigi non dubitavit Christus, ut cælum nobis reseraret. Quis dubitet jam pro eo fortiter pugnare, omniaque exantlare?

Unde colligimus quam prodigus et insanus sit peccator, qui tanto pretio emptam gloriæ margaritam tam vili rursus vendit. Intolerabilis fuit luxus Cleopatæ illius reginæ, quando unionem ingentis pretii (centum sestertium, id est, ducentorum quinquaginta assium, apud Plin. lib. IX. c. XXXV.) ab aure detractum et aceto maceratum pro convivio apposuit Antonio et uno bolo devoravit. Sed quid is respectu gloriæ cælestis, Christi sanguine partæ? Et tamen illam innumeri homines, sæpe mera peccandi libidine uno bolo, una ebrietate, una scortatione devorant et abliguriunt. O quam aliquando irruent cum Esau, qui tam parvo vendiderunt jus hæreditatis cælestis? Si enim modo id non agnoscent, agnoscent tamen aliquando, sed heu sero nimis, quando jactura beatitudinis magis eos affliget, quam ipse cruciatus sensibilis!

Vidimus ergo, ni fallor, scripturam hujus libri. Superest nunc ut intremus cubiculum cordis nostri, et nos ipsos interrogemus, num hæc ista recte expenderimus et cordi habuerimus; si enim ista scivimus et credimus, cur quæso non ita viximus, ut hæc a nobis exigunt? Si tanti est anima nostra: cur tam facile eam vendimus et negligimus? Si tanti est noster proximus, cur ita eum spernimus, deserimus, opprimimus? Si tanta res est Dei gratia et virtus, cur tam parum eam curamus et tam facile expellimus? Si tantum malum est peccatum, cur tam facile id admittimus? Si tam horrenda est gehenna, cur non magis eam horremus? Si tanta res est gloria, cur tam frigide eam quærimus? Vereor sane ne vobis etiam dixerit apostolus, quod Galatis illis dixit, c. III. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est*; (sic enim legit Chrysost. Theophylact. et alii, et sic habetur in Græco) *et in vobis crucifixus*, q. d. siquidem Christus in cruce veluti liber vobis præscriptus, expansus et explicatus est, in quo legere possitis animæ et proximi dignitatem, gratiæ præstantiam, peccati turpitudinem, gehennæ horrorem, gloriæ eminentiam, Dei majestatem et virtutes: cur non obedistis veritati?

In hoc libro adeo profecerunt Sancta Gertrudis, S. Mechthildis, S. Birgitta, Sancta Catharina, ut eruditissimæ et sanctissimæ evaserint. Hunc